

*genitus* damnavit propositiones Quesnelli, rumor insonuit in Academiis, & scholis, damnatam esse doctrinam Thomisticam de gratia efficaci, & prædestinatione gratuita; & quamvis satis clare in Bulla *Pastoralis* justissimus Pontifex mentem suam aperuisset, adhuc non quæscabant; & necesse fuit, ut Benedictus XIII. ad suos Dominicanos scriberet Breve, in quo illos suaderet, ut calumniam contemnerent. Musitantibus adhuc, ex quo per revocationem Bullarum ad confirmationem privilegiorum Regularium a Benedicto editarum fuit etiam revocata Bulla *Pretiosus*, necesse fuit, ut justissimus Clemens mentem suam, & Prædecessorum suorum aperiret. Ex quo speramus obturata esse calumniantium ora, & linguas malignantium cōfixas. Hoc idem profecto eveniet, si, postquam Alexander VII. in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiārum*, merito celebrata uti favorabiliore Mysterio ceteris, rotundis verbis dixerit, se noluisse decidere, quod a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuit decisum; immo potius puniat gravissimis poenis censurantes opinionem contrariam; si, inquam, exaudiatur devota supplicatio oratorum, impune censura inuretur, quod hucusque vetitum fuit censura inuri.

XXIV. Declamant magno verborum strepitu, quod si umquam tempora desiderarunt accelerationem hujus negotii, præsentia certe sunt opportuna, & necessaria, ut Hydra Jansenistarum frangantur capita, qui exemplo articuli *Conceptionis*, qui exterius veneratur, & interius negatur, putant posse illis permitti intrinsecus non adhærere Pontificiis Constitutionibus damnantibus errores Jansenii, & per silentium obsequiosum extrinsecus obedientiæ Ecclesiæ satisfacere.

At rogamus viros Theologos, ut serio perpendant, aliam esse causam Jansenistarum, & aliam illorum, qui non adhaerent sententiæ piaæ. Jansenistæ recedunt dolose ab obedientiæ Ecclesiæ per illorum silentium fraudulenter nuncupatum obsequiosum; quia Summi Pontifices Innocentius X., Alexander VII., & Clemens XI. expresse damnarunt quinque pro-